



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio LXIII. Christus Dominus tot laceratus calumniis, docet nos, quomodo possimus & nos retundere, & superare calumnias.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO LXIII.

Crucifixus Dominus tot laceratus calumniis, docet nos, quomodo possimus & nos retundere, ac superare calumnias.

*Redime me à calumniis hominum, ut custodiam mandata tua. Psal. 118, v. 134.*

I.

**D**Avid vir egregius, qui jam in juventute sua urfos ac leones dilaceravit, & Goliath immanissimum gigantem generose prostravit, qui nullo percussus timore, toties inimicorum castra aggressus est; unde dixit, & de se ipso scripsit: *Si consistant adversum me castra: non timebit cor meum; Si exurgat adversus me praesulium, in hoc ego sperabo.* Hic, inquam, talis ac tantus vir ad calumnias hominum cohorrui, & totus in alium mutatus est; unde impensissimè rogavit Dominum: *Redime me à calumniis hominum, & causam subjungit: Ut custodiam mandata tua.* Ecce calumniae mortalium turbabant, & vix non subvertebant animum Davidis; unde Sapiens ait: *Calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis illius.*

Ad Filium Davidis, hoc est, ad patientem & crucifixum JESUM transeo. Et quis, obsecro, majoribus injuriis ac calumniis in vita & in morte impetitus, lacessitus, ac laceratus fuit, quàm innocentissimus ille Agnus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus? *Stabas populus spectans, & deridebant eum principes cum eis.* Ecce crucifixo Redemptori tuo in summis cruciatibus insultabant, & calumniabantur omnes. O quantum per tales calumnias augebatur dolor ac tormentum pientissimi JESU! videbatur enim tunc inimicorum ejus & impiissimorum Judæorum exsatiata furia, cum illum viderent in ultimo supplicio & agone, insultabant tamen, & mille eum onerabant contumeliis; ex quo patet, nullum genus hominum abstinuisse, usque adeò, ut ne latro quidem sceleratus, concrucifixus, desperatus, ac semi-

mortuus ei parceret. O bone JESU! ô Amor crucifixe! qui tu pro me, & ego pro te, qui vix verbum asperum patienter possum ferre?

2. Eliseus Propheta ferre non poterat contumelias puerorum, doli & culpæ jam tunc capacium, dum illi ascendenti in Bethel petulantè exclamabant: *Ascende calve; Proinde maledixit eis in nomine Domini egressique sunt duo ursi de saltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.* Ecce qui thesauros Naaman Syri principis à lepra in Jordaniis flumine mundati tam generosè rejecit, qui tot ac tanta prodigia coram omni populo patravit, sustinere non potuit puerorum contumelias, quia *calumnia conturbat Sapientem.*

Ecl. 7. 8.

Psal. 108. 25.

Psal. 21. 8.

Math. 5. 44.

Plus Christus in cruce, ubi scopus omnium calumniarum factus est. Sustinuit passiones & dolores omnes: *Et ego factus sum opprobrium illis, viderunt, & moverunt capita sua;* Risui & nasi contorsioni addebant labiorum & capitis motum, ut non duntaxat naso, sed omni modo illuderent: *Locuti sunt labiis, & moverunt caput.* Et quid interim Dominus JESUS? *Pater, dimitte illis;* Oravit pro calumniantibus se, quia ipse prius prædixerat: *Ego autem dico vobis; diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Quod non tantum dixit, sed & fecit, & per orationem suam à Patre impetravit, ut vindicta in calumniantes usque ad quadragesimum annum dilata fuerit. Et ecce tunc venerunt de sylva gentium duo ursi: Titus videlicet & Vespasianus, qui Judæos deicidas in excidio Jerusalemitano, & immorigeros eorum filios dilacerarunt, & perdidit. Hoc habet calumnia, quæ ut plurimum redit in authorem.

Job. 2. 7.

Job. 18. 2.

S. Chrysof.  
hom. 15. in  
Math.

3. Job in Sacra Scriptura nobis proponitur, tanquam invictum fortitudinis & patientiæ speculum, cum primis in jactura omnium facultatum, in ruina domûs & strage filiorum, in vulneribus, quibus toto corpore à Sathana erat plagatus: *Egressus igitur Sathan à facie Domini, percussit Job ulcere pessimo, à planta pedis usque ad verticem ejus;* in quibus omnibus Job erat patientissimus, sed ubi dæmon uxorem & amicos in ejus patientiam armavit, illumque variis replebant calumniis, fortissimus hic athleta non nihil vacillare cœpit: *Usquequò, inquebat, affligit animam meam, & atteritis me sermonibus?* Juvat hic audire S. Joannem Chrysofomum: *Ubi verò exprobare sibi amicos, atque insultare vidit, & malignam de se existimationem facere, & dicere quòd talia propter peccata pateretur, & malitia sua solveret ultionem, tunc demum turbatus est vir ille maximus, fortissimus.*

Cæterum Job insignis typus fuit Christi patientis & crucifixi; ô quot calumniis in vita, passione & cruce oneratus fuit mitissimus hic Redemptor tuus! Jobo inter tot calamitates sola remansit incolumis

mis pessima uxor, quæ verborum jaculis, opprobriis ac calumniis viri sui augetur vulnera. Per hanc pessimam uxorem Synagogam subintellige, mille calumniis in Christum sponsum suum armatam, unde eum deturpavit sputis, flagellis dilaceravit, spinis coronavit, divinissimum caput ejus arundine percussit, ad crucem condemnavit, in medio latronum suspendit tanquam magistrum eorum & scelerationem omnibus. Et in his omnibus cruciatibus mitissimus agnus non aperuit os, neque contra calumniatores & hostes suos conquestus est, ut quondam Jobus fecerat: *Usquequò affligitis animam meam, & atteritis sermonibus;* Sed hoc unicum ab illo Veritatis ore audiebatur: *Pater, dimitte illis.* Audi S. Bernhardum: *Cùm JESUS in summa crucis esset amaritudine, nihil exivit de ejus corde, nisi dulcedo.* Si hoc te non movet, anime mi, saxum es, vel brutum. S. Bernhard. de Pass. Dom. cap. 12.

4. Moyses vir mansuetissimus super omnes homines, ubi à Core, Dathan & Abiron ista calumnia illi irrogata est, quòd ambiret sibi principatum, & fratri suo Aaroni Pontificatum, indignatione motus, turbavit seipsum: *Vexatus est Moyses propter eos, qui exacerbaverunt spiritum ejus.* Non sic JESUS noster & amor crucifixus. Num. 16. 15. Psal. 105. 32.

Mira quidem fuit patientia Davidis ad maledicta & calumnias Semei sufferendas, quem idcirco Abisai ad necem deposcebat: *Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi? Vadam, & amputabo caput ejus.* Sed prohibuit David: *Quid mihi & vobis est filii Sarvia? Dimitte eum, ut maledicat; Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David.* Observa tò præcepit, id est decrevit permittere. His tamen non obstantibus, David semper per reliquum vitæ curriculum memor fuit ejusmodi à Semei illatae injuriæ ac calumniæ; unde appropinquante morte filio suo Salomoni mandavit: *Tu noli pati eum esse innoxium.* 2. Reg. 16. 9. 3. Reg. 1. 9.

Et quid JESUS infami crucis ligno suspensus, & nunc brevi moriturus? *Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Ecce loquitur in causa aliena, qui semper tacuit in sua: Pro crucifigentibus orat, non definiendo præsentés, sed & futuros, videlicet peccatores omnes; ergo etiam me & te, ô mi Lector. Luc. 23. 34.

5. Tobiam seniore non adedò turbavit cæcitas, quam sciebat à DEO ex ratione justa sibi esse immisam, sed conturbavit eum multum uxoris calumnia, quam sciebat ex passione injusta provenire: *Ad hac uxor ejus irata respondit: Manifeste vana facta est spes tua, & elemosynæ tua modo apparuerunt.* Atque his & aliis verbis exprobrabat ei. Ecce genium mulierum. Sed quid ad istas calumnias Tobias cæcus, vilipensus & irrisus? *Tunc Tobias ingenuit, & cepit orare cum lacrymis.* Vide hic, *subjungit Gineher Unus pro omnibus.* Tob. 2. 22. Tob. 3. 1.

Hh

git

**Ecclef. 7. 8.** git Cornelius, quàm verum sit illud Sapientis: *Calumniæ conturbat sapientem, & perdet robur cordis illius.*

**S. Chrysoft.**  
hom. 88. in  
Matth.

**S. Isidor. lib.**  
2. Soliloq.  
cap. 7.

**Bollandus 25.**  
Jan Obiit hic  
Beatus Ulmæ  
anno 1365.

Et quis sapientior, quàm Patris incarnata Sapientia, Unigenitus Dei Filius? Quis inter iustos magis iustus, quàm iustus Dominus Deus noster? O quot, & quales, ac quantas debuit devorare calumnias ac contumelias in cruce pendens, ne dicam per omnem vitam suam? Unde illum appellarunt seductorem, Belzebub, & dæmonium habentem, potatorem vini, blasphemum & rebellem Cæsari; tace reliqua. Hinc rectè S. Chrysoftomus: *In patibulo pendentem omnes amarè impetunt verbis, quæ rebus ipsis mihi graviora videntur;* Erat enim tunc jam morti proximus, & circumdatus pelago dolorum, pendebat sicut canis abjectissimus & excoriatus in patibulario ligno, ubi omnes videntes debuissent moveri ad commiserationem, tunc novæ furia infernales cœperunt contra eum insanire, quibus & immortalis est, nobis fortissimum præbens exemplum, quomodo in calumniis nos gerere debeamus, proinde bene S. Isidorus: *Contra linguæ gladium patientia præbe scutum.*

6. Hoc fecit B. Henricus Suso ex Ord. Præd. de quo Bollandus, quòd coram certo quodam crucifixo, juxta quem plura pendebant vota & anathemata, solitus fuerit suam Deo offerre orationem. Accidit, ut die unâ omnia ista pretiosa vota furto subreperentur, & tota culpa in Virum Dei conjiceretur. Quid fecit B. Suso, cùm de eo tumultuantes severam exquirerent sumendam pœnam? Accessit de novo ad crucifixum amorem suum: *Domine, inquebat, si cruce ejus modi mihi evenire permitteres, quæ me non debonestarent, ferrem eas equidem patienti ac lubens, atqui ea te permittente mihi accidunt, qui meam extinguunt sanam, mihi acerbissima sunt.* Apprehendit exinde cultellum & SS. Nomen JESUS cum cruce in pectore sibi insculpfit, ut paratior esset ad ferendas hominum calumnias; Et tu quid hic?

